



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia  
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De  
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio  
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1652**

XIX. In humana voluntate non posse simulesse auxilium ex se at physicè  
illam prædeterminans cum potestatè resistendi etaem auxilio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

fit laude, vel reprehensione, præmio, vel poena dignus, parum refert, quod necessitas hinc, vel inde proveniat, si cetera sit, ut sit homini inevitabilis qualis esset præsens necessitas, ut expressis verbis aliqui ex dictis authoribus consentiunt, & sanè consequenter, quandoquidem impressio talis qualitatis evitari non potest ab homine, si Deus vult illam dare. Neque emanatio actionis ab auxilio inevitabilis est, etiam per potentiam absolutam, ut ipsi dicunt. Quod autem id quod est inevitabile non possit ad culpam imputari per se notum videtur, cur enim inculpabile est, quod per ignorantiam inuincibile vel per absolutam coactionem fit, nisi quia est inevitabile. Item ob hanc causam patres defendentes libertatem contra hæreticos negantes illam ex parte protidentia, vel actionis Dei summo studio defenderunt, & declararunt nullam necessitatem ab extrinseco inferri voluntati, per Dei scientiam, vel providentiam, supponentes profecto hanc necessitatem repugnare libertati actionis. Hoc autem constat ex dictis in prolegom. i. & plures patres asserimus infra eorum mentes in hac controverfia inuestigantes. Deniq, addo quod posito illo genere prædeterminantis auxilij necessitas non tantum erit ab intrinseco, sed etiam ab extrinseco, quia entitas talis auxilij natura sua, & ab intrinseco est determinata ad agendum, sicut impetus impressus lapidi, licet sit illi intrinsecus, & violentum motum in illo faciat, nihilominus ab intrinseco, & naturaliter est determinatus ad faciendum illum motum, ergo multo magis auxilium illud est per se & ab intrinseca sua natura determinatum ad illam actionem cum nec Deus ipse, ut aiunt, possit illam impedire, ergo necessitas illa respectu auxilij est ab intrinseco & consequenter respectu voluntatis oritur illa necessitas ex intrinseca impotentia quâ habet ad resistendum illi auxilio, & ita respectu illius principij ad æquati necessitas illa est ab intrinseco, quandoquidem oritur ex ultimo, & formali constitutivum illius principij. Et hæc ratio maximè vrget si talis prædeterminatio servata proportionem est ad omnem actionem voluntatis necessaria: nam tunc voluntas natura sua postulat illum modum agendi, & ita necessitas illa est connaturaliter debita voluntati, & ideo satis ab intrinseco existit. Verumtamē etiam si non sit per se necessaria talis prædeterminatio quoties data fuerit necessitas erit ab intrinseco ex parte voluntatis, saltem ob intrinsecam impotentiam resistendi naturali impulsioni talis auxilij, ut dixi.

## CAPVT XIX.

*In humana voluntate non posse simul esse auxilium  
ex se ac physice illam prædeterminans cum  
potestate resistendi etiam  
auxilio.*

1. **N**onnulli ex his auctoribus, qui auxilium prædeterminans defendunt, cum viderint sine potestate resistendi non posse libertatem subsistere, dicere tentarunt hoc auxilium prædeterminans non imponere necessitatem, nec auferre potestatem non agendi, etiam in sensu composito, sed solum determinare ad semper sic agendum, quæ non est necessitas, sed determinatio, nec tollit potestatem resistendi si velit etiam in sensu composito, sed solum facit ut voluntas illa potestate non utatur, quia licet infallibiliter id faciat, non tamē inevitabiliter. Vnde consequenter aiunt, illud auxilium, licet determinet potentiam ad utrumque, etiam in sensu composito, licet infallibiliter in alteram partem inclinanda sit voluntas. Hunc modum defen-

dendi illam sententiam sequutus est Cabrera supra disput. 2. §. 8. num. 309. 310. & sequentibus. Nec videtur ab hac sententia alienus Cumel. disp. 4. de 5. ubi sæpissimè negat voluntatem determinari per auxilium præmium, donec voluntas sua ratione se determinet cum efficacia illius auxilij, & consequenter ait habere vim ad ponendum illi obicem, & resistendum ut specialiter patet disp. 5. post conclus. 3. sub tit. alijs argumentis. §. adverte tamen. Et pro hac responsione facit quod notat Ledesma art. 2. ad 5. quod voluntas affecta illo auxilio operatur infallibiliter, item quod ait art. 10. ad 1. quod in actu ad quem prædeterminatur voluntas, non est necessitas, sed infallibilitas proveniens ex efficacia auxilij, efficacia autem ait, & necessitas sunt res omnino dissimiles, quia licet necessitas includat intrinsecè efficaciam, efficacia non includit necessitatem, licet includat omnimodam infallibilitatem, nam si hoc verum est cum illa efficacia optime manere poterit potentia ad non agendum, etiam in sensu composito, quia efficacia infallibilis tantum non tollit hanc potentiam, ut nos infra dicemus. Hanc etiam doctrinam sub quadam notanda distinctione admittere videtur Alvarez disput. 93. n. 2. ait enim auxilium efficax dupliciter posse considerari. Primo secundum suam entitatem præcisè, id est, talis motio, vel entitas in voluntate recepta, & sub hac ratione ait voluntatem posse resistere auxilio efficaci, quod ait ab omnibus concedi. Vnde de fit non obstante tali auxilio efficaci sic spectato voluntatem posse non agere, etiam in sensu composito: nam verbum resistendi sensum compositum inuoluit. Alio modo ait posse auxilium efficax considerari secundum omnem virtutem realem quam habet, ut venit à Deo, & ut est instrumentum voluntatis Dei efficaciæ, & sic non posse voluntatem illi resistere, & consequenter tantum retinere potestatem ad non agendum in sensu diuiso.

Ex his verò auctoribus Cabrera quantum à sua, & suorum sequacium sententia recedit, tantum nostram sententiam, & rationem factam confirmat, late enim probat ad libertatem necessariam esse ut non obstante præmotione Dei maneat voluntas indifferens simpliciter, & cum potestate ad resistendum & non agendum in sensu composito, quod nos intendimus, estque nostræ rationis fundamentum. Hinc ergo nostram sententiam confirmat, suam verò consequenter deponit. Vnde quidam alius eiusdem doctrinæ sectator responsionem illam reiciens dixit. Nec nobis placent qui dicunt hanc præmotionem efficacis auxilij in omni sensu relinquere facultatem indifferentem, hoc quippe non est determinare, sed indeterminate. Certe (ait) prædeterminatio quam iste nosse reuocatur Thomista nouit imprædeterminatio est, & ita quod impossibile instituit amplexatur.

Tres ergo contradictiones in illa doctrina notare possumus. Prima est, quod voluntas physice determinetur ad vnum, & simul maneat indifferens, quia determinatum, & indeterminatum contradictoriè, vel priuatiuè opposita sunt, idem autem est indifferens quod indeterminatum. Præterea sic explico, quia vel est sermo de indifferentia remota, ut sic dicam, & passiva quæ est in voluntate secundum se spectata, vel de indifferentia proxima, & in actu primo completo respectu talis actus pro eodem instanti prius natura quam eliciatur. Si de priori tantum sit sermo, est vocum æquiuocatio, quia illa indifferentia est tantum in sensu diuiso, & non sufficit ad libertatem ostendendam, & manet in voluntate etiam intellecta, quia nihil aliud est quam capacitas naturalis ipsius voluntatis, si autem intelligatur secundo modo ut necessarium ad libertatem, sic immediatè, ac formaliter repugnat esse potentiam physice determinatam ad vnum.

vnū actum prius naturā, quā illum eliciat, & in eodem signo esse indifferentem respectu eiusdem actus vt ex ipsis terminis constat, quia in eodem puncto temporis, & naturā, & respectu eiusdem actus secundū esse simul determinatū, & indeterminate. minimum in actu i. proximo contradictoria sunt.

Secunda contradictio est quod actus sequatur infallibiliter ex efficacia prædeterminationis, & non sequatur inuitabiliter. Nam licet alio modo, & ex alio capite possint illa duo simul coniungi, vt infra dicam, tamen posita hypothēsi physicæ prædeterminationis de se efficacia repugnantiam inuoluit, quia quando effectus est infallibilis ex vi causæ proximæ, & ex natura talis entitatis intrinsecè determinatæ ad talem effectum, ita vt repugnet ex illa non sequi, talis effectus inuitabilis est, quia nihil aliud significat hæc vox, nisi quod effectus prodeat à causa, cuius actio euitari non potest, tale autem est auxilium per se efficax, ideo enim infallibiliter agit, quia ex se est ita determinatum ad agendum, vt eius actio impediri non possit. Et declaratur, quia, vt ipsi etiam, alunt, implicat contradictionem auxilium efficax poni, & non sequi actionem consensus, quia eo ipso non esset efficax, quid autem potest esse magis inuitabile quā id quod implicat contradictionem non heri. Tunc ergo infallibile distinguitur ab inuitabili quando est infallibilitas in effectu non in causā, hic autem est causa, vt declarauimus, ideo distingui non possunt.

Neque contra hoc obstat distinctio ab aliis adhibita inter efficaciam, & necessitatem, quia licet efficacia in comuni sit superior ad necessitatem, quia dari potest efficacia libera, tamē efficacia rei intrinsecè determinata ad vnū, & ad exercitium actus & inuitabiliter secum trahentis ad agendum potentiam, cui inest intrinsecè includit necessitatem, & similiter infallibilitas ex tali efficacia promouens necessitas est non tantum secundum quid, sed simpliciter, quia licet respectu voluntatis sit ex suppositione, illa tamen suppositio est omnino antecedens & in illa recipienda voluntas ipsa absolutam necessitatem patitur. Nec plus valet aliorum responsio distinguendum duplicem necessitatem, vnam infallibilitatis, & aliam coactionis, & dicentium hæc posteriorem repugnare libertati non priorem, & illam solum sequi ex prædeterminatione. Verum tamē si vtrumque ex illis membris sumatur, propriè distinctio est insufficiens, quia datur necessitas simpliciter, & in causā, quæ nec est tantum infallibilitatis, nec coactionem propriam infert, & nihilominus repugnat libertati, & sic per physicam prædeterminationem inferitur, quia facit actum esse simpliciter necessarium, vt ostensum est, licet relinquat illum voluntarium, & non coactum. Quod si in primo membro necessitas coactionis late dicatur omnis illa necessitas simpliciter, quæ est præternaturalis, & ab intrinsecò, certè talis est, quæ per physicam prædeterminationem inferitur, vt probatum est. Vel si è contrario necessitas infallibilitatis dicatur omnis illa quæ sine propria coactione inuenitur, & cū voluntario coniungitur, si non est vniuersaliter verum necessitatem infallibilitatis non esse contrariam libertati, talisque est necessitas quæ induceret prædeterminationem physicā, vt ostensum est.

Tertia contradictio est quod auxilium sit per se, & natura sua efficax, & quod maneat in voluntate potestas ad resistendum illi in sensu composito. Nam in primis illa potestas nunquam reducitur ad actū vt ipsi fatentur, idque infallibiliter, & non ex præscientia Dei, quæ præiudicat effectum contingentem futurum hoc modo potius quā illo, nam hoc ipsi ex professo impugnant: ergo est infallibile ex vi causæ, ergo contrarium est impossibile, sed ad impossibile non est potentia; ergo non est in voluntate potestas

ad resistendum huic motiōi ex suppositione illius. Probatur consequentia, quia resistere esset coniungere negationem consensus cum illa motiōe, sed hoc est impossibile, neque ad illud est potestas in voluntate; ergo neque ad resistendū tali motiōi. Præterea declaratur in hunc modum, quia si comparemus potestatem voluntatis ad naturam, & entitatem illius motiōis, ita se habent, vt non possit voluntas illud auxilium facere inefficax; ergo non potest illi resistere, nam per resistantiam fieret inefficax. Antecedens probatur, quia illud auxilium est efficax ex intrinseca natura sua, vt illi dicunt, sed nō potest voluntas mutare naturam talis auxilij; ergo non potest facere illud inefficax. Itē non magis potest voluntas resistere illi auxilio, quā voluntati diuinæ beneplaciti efficacī, sed huic voluntati Dei non potest voluntas nostra resistere vt Scriptura docet, ergo nec tali auxilio, si tale est. Maior est frequens in illis auctoribus, & est consequens ad illorum doctrinam. Quia ponunt illud auxilium habere vim ad implendam voluntatem diuinam tam infallibiliter & efficaciter, quā necessarium est ad omnipotentiam, & infallibilitatem diuini decreti, ergo heri non potest vt sit tale, & quod in voluntate sit potestas resistendi illi auxilio, etiam in sensu composito, & confirmatur tandem, ac declaratur, quia potestas in sensu composito est potestas ad componendum vnū cum alio, & ideo stantē consensu non manet in voluntate potestas ad dissensum in sensu composito, quia non potest voluntas vnū actum cum alio componere, id est, simul vtrumque habere, sed iuxta illam sententiam, ita repugnat, simul componi auxilium prædeterminans cum carentia actus, sicut repugnat componi consensum cum dissensu: ergo repugnantia est dicere cum tali determinatione manere in voluntate potestatem resistendi in sensu composito.

Neque hæc incommoda euitantur per distinctionem auxilij efficacis quoad puram entitatem suam vel quoad totā virtutem quam habet vt instrumentum Dei. Nam in primis quæro de auxilio secundum præcisam entitatem spectato an prædeterminat physicè voluntatem, necne. Nam si non prædeterminat physicè, non est efficax secundum communem sententiam horum auctorum; ergo male nemini ponitur sub auxilio efficaci, & tamquam membrū, licet efficaciter, & confirmatur: nam si nō determinat physicè voluntatem, ex se non habet infallibilem connexionem cum consensu voluntatis, nec etiā habet illam ex præscientia conditionatā in sententia horū auctōrū ergo simpliciter, & omnimodo nō habet talē connexionem infallibilem, ergo est simpliciter coniungens, vt cum entitate illius auxilij coniungatur carentia talis consensus, ergo tale auxilium nō est efficax ex se, nec data actū operari, sed posse. Si autem auxilium sic spectatum in sua præcisa entitate prædeterminat physicè voluntatem, incidimus in contradictiones allatas. Nā repugnat voluntatē posse resistere tali auxilio efficaci, nā resistantia (vt dixi) includit sensū compositū, quia nisi ad sit aduersarius, non habet locum resistantia, in sensu autē composito impossibile est voluntatem resistere entitati ipsam physicè prædeterminanti, quia physica prædeterminatio in sua ratione includit vt non subdatur dominio voluntatis, sed illam potius sibi subiiciat, vt ex terminis est notum, & aliis locis idem auctor dicit: voluntas autem vbi dominium non habet, nec resistere potest, quia non nisi per potestatem dominatiam suorum actuum resistit.

Forè dicitur entitatē illius auxilij secundū se spectatā, si in re ipsa separaretur à reali virtute instrumentali Dei, non esse prædeterminantem, nec futurū esse auxilium efficax, nunc verò numquam separari ab illa virtute, & ideo semper in re esse effi-

Hæc contradictiones non euitantur per supradictam distinctionem, licet efficaciter.

Præcluditur alia eadem.

eax & prædeterminans, & ideo vocari auxilium efficacax nõ formaliter, vt sic dicam, sed denominatiue ab illa virtute. Sed hæc & similia frustra dicuntur, & si euoluantur vix intelliguntur. Interrogo enim an illa virtus instrumentalis addat aliquid reale entitati auxilij præcisè spectatæ nec ne. Quia si nihil addit, superflua est distinctio, quia illa entitas per se ipsam erit virtus instrumentalis diuinæ voluntatis, & omnipotentia; ergo ex vi suæ entitatis habebit omnem virtutem realem, quam habere potest vt ex Deo procedit. Quod si sub vna ratione habet aliquā virtutem realem quam sub alio non habet aliquid etiam entitatis, illi addi necesse est quando ei realis virtus additur, nam virtus realis non est sine reali entitate. Magis verò sentit dictus auctor illam virtutem realem instrumentariā esse aliquid reale additum entitati auxilij, dicit enim virtutem principalis esse intentionale quid, per quod virtus principalis agentis est incompletè vt in instrumento. Vnde videtur sentire hanc virtutem similem illi quæ additur per concursum præuium omnibus causis secundis ex eius, & aliorum sententia, quod si hoc ita est, superflua est illa prior entitas auxilij efficacis, cui secundum se spectatæ dicitur voluntas posse resistere. Ad quid enim est tot entitatum multiplicatio: nam si Deus addit hanc virtutem instrumentariā auxilio excitanti, vel habitui infuso, satis erit, vt eleuet illa ad instrumentaliter agendum in virtute Dei, & ad determinandam potentiam, vt efficaciter operetur, ad quid ergo est illa alia entitas, quæ dicitur auxilium efficacax cum de se sit, inefficax? vel qualis esse potest? Nam si sit per modum actus vitalis erit auxilium excitans, si sit entitas de se permanens, erit habitus, si verò sit motio, vel qualitas transiens erit eiusdem rationis cum virtute illa instrumentariā, ac subinde ex vi suæ entitatis habebit omnia quæ auxilio efficaci, & prædeterminanti tribuuntur.

8. *Instantia.* Dicit adhuc potest auxilium quidem efficax esse vnam, & simplicem entitatem; tamen illam non habere totam suam efficacitatem ex se, & quali essentialiter, vel vt naturam proprietatem, sed solum vt procedit ab efficaci voluntate Dei, quia vult hominis voluntatem talem actum efficere, & consequenter vult vt illa entitate vt in instrumento. Vnde si fieret a Deo entitas, & non ex illa voluntate efficacis, sed ex præcisa voluntate faciendi talem entitatem, illa non haberet vim prædeterminandi, nec tantam efficacitatem. Sed hoc repugnat valde principiis illius doctrinæ. Si enim destruantur omnia, quæ de præuio concursu primæ causæ, & de motione intentionali illi auctores dicere solent vt lib. 3. vidimus. Nam si entitas illius auxilij non habet naturā suā intrinsecam illam efficaciam, & vim prædeterminandi, seu applicandi voluntatem, & causam secundam, sed solum ex Dei voluntate sine vlla reali additione, sola voluntas efficacax Dei volētis immediate vt potentia, vel habitu, vel actū gratiæ excitantis vt in instrumento, sufficiet, eritque superflua præuia motio, quasi media, & inherens potentie; & tunc incidemus in aliam opinionem, & quæstionem tractandam duobus capitibus sequentibus, vbi vidimus an ille modus necessarius sit, & an salua libertate locū habeat, ideoque de hac vltima euasione nihil amplius hic dicere necesse est. Solum adiungo etiam illi demus auxilium verè efficax compleri ex illa entitate cū virtute instrumentali addita, quidquid illa sit, eandem relinqui difficultatem in ratione facta. Nam de facto præueniri dicitur voluntas per illam entitatem absolutè voluntatis Dei; ergo illi vt sic non potest resistere voluntas in sensu composito, quia alias sequeretur contradictiones illatæ, cum supponatur voluntas posse resistere illi auxilio sic completo, & tunc relinquitur idem argumentum

quod talis necessitas composita tollat libertatem, quia tota illa suppositio integra est antecedens simpliciter omnem vsum nostræ libertatis.

## CAPVT XX.

*Auxilium si ex se sit efficax, ac physice prædeterminans non posse a libero vti pndere, sed necessitatem antecedentem inducere.*

Venio ad alium principalem modum fugiendi vim principalis rationis. Nam aliqui ex dictis auctoribus coacti argumentis factis interdum retrocedunt, & conantur defendere suppositionem illam auxilij efficacis sic explicari non esse antecedentem, quia pendet ex aliquo vti libero humanæ voluntatis, quod satis est vt sit suppositio consequens, vt nos etiā docemus. Illa verò dependetia duobus item modis ab eis asserta est. Primus est, vt ille vti liber sit antecedens ad tale auxilium, nimirum circa aliquam dispositionem præuiam ad illud, cuius intuitu, vel ratione cuius tale auxilium infusibiliter datur. Secundus modus est vt ille vti liber sit aliquo modo cooperans ipsi meriti auxilio. Priorem modum inculcat sæpe Cabreræ, & coguntur approbare qui dicunt hominem sufficienter vocatum non carere auxilio, nisi culpa sit, nam inde planè sequitur pendere ex libertate eius cui datur. Nihilominus plures ex dictis auctoribus hunc dicendi modū reiciunt, & merito vt cap. præcedenti vidimus, nam illa dispositio libera est impossibilis in illa sententia, & in plura incommode incidit talis assertio, quæ ibi tractata sunt.

Addo in super etiam illo modo non saluari propriam, & formalem libertatem supernaturalis consensu qua ipse verè, & in se liber dicitur, & sic quod nullo modo admitti potest, & ex Conc. Trid. & aliis testimoniis constat. Assumpto declaro primo, quia quod Deus solus in nobis facit supposita dispositione libera non est liberum nobis formaliter, sed tantum per denominationem à tali dispositione, sicut actus exterior de iominatur liber ab interiori, vt patet clarè in infusione gratiæ habitualis, quæ hoc tantū modo potest libera denominari, ergo in presenti licet præcederet illa dispositio libera infusio auxilij prædeterminantis quod solus Deus facit, tantū erit libera per denominationem à tali dispositione, quia posito illo auxilio necessario sine noua libertate sequitur actus, vt ostensum est. Ergo talis actus non est liber nisi per denominationem ab illa præuia dispositione. Ex quo vltimus sequitur in nostris actibus supernaturalibus nullum esse meritum præter illud quod in illa dispositione præuia & libera cogitari potest. Ita enim in vniuersum inuenitur in omni actione quæ solum est libera per denominationem extrinsecam à præcedenti actū libero, vt in ea nullum si proprium meritum præter illud quod in actū denominante inuenitur, vt in actū exteriori non est distinctū meritum ab illo quod est in interiori, à quo proximè imperatur, & in receptione gratiæ habitualis, & in similibus in receptione meriti latius videmus seruatur, vt in materia de merito latius videmus, ergo simili modo voluntas credendi quæ necessario sit posito auxilio efficaci non habet nouā laudem, nec proprium meritum præter illud quod in dispositione libera ad tale auxilium inuenitur. Hoc verò nullus Theologorum admittet, & ideo illa sententia merito ab omnibus explodenda est.

Secundus modus dicendi in hoc puncto est illam dispositionem liberam non esse aliam ab ipso compositio sensu qui est effectus auxilij excitantis: nam eandem dicunt esse dispositionem ad ipsum meriti auxilium.